MEMORIA BEATA
Philippi Christiani
Marstalleri

Martini Marstalleri Illustriss. Principis ac Domini, Dn.

PHILIPPI II.

Ducis Pomeranorum, &c. Consiliarij,

FILII SECUNDI

Celebrata

Suspirijs & condolentiâ Amicorum.

SEDINI
Typis Rhetianis.

ANNO M. DC. IX.





PHIlippus CHri-
ſtianus Mar-
ſtaller

Naſcitur Stetini 15. Iu-
lij Anno 1608. min. 8.
ante 10. veſpert.
Baptiſatur 17. Iulij.
Denaſcitur 21. Ian. 1609
paulo poſt 12. pom.
Sepelitur in Templo
Cathedr. Mariano,
26. Ian. 1609.





AD DN.

MARTINVM MARSTAL-LERUM VIRUM CLARISSImum, Compatrem honorandum & Amicum certa fide meum.

ALternat Fortuna vices. bona verba secundo (toro;
Dum mihi cantabas nuper, AMICE,
Heu moritur tibi filius alter! ohe fera fata,
Gaudia conspurcant quæ vice tàm subita!
Tàm citò non telum, non navis; avisve, per auras
Avolat, ut subitas vita habet orbe vices.
Sed quid agas? petijt cœlos pernicibus alis,
Omnis filioli vita vigorq; tui.
Quid? petijt cœlos? si sic: cur ergo gemamus?
Quò semel aufugit non revocare datum est.
Nec revocetur ab usq; polo, colludere fratrem
Paulò antè ablato fratri, ubi delicium est.

D. Cramerus D.

D. MARTINO MARSTALLERO
Viro Clarissimo, Doctissimo, Consultissimo,
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS AC DVCIS POMERANORVM D. D. PHILIPPI &c. Consiliario, filioli sui obitum lugenti, mœstissimo patri, S. D.

Nulla deesse tibi solatia, teq; peritum
Auguror humanæ sortis, quam mille sequũtur
Tædia, quam ditāt luctus, cui mœror & angor,
Irrita vota, breves tractus constanter adhærēt!
Perpetuæ lacrymæ, frustranea plura, labores
Ingrati, sobolis, matrum, fratrumq;, patrumq;
Funera, multa dolis undantia, multa dolendis,
Hic noster status est, nostriq; stipendia cursus,
Hæc hominum merces, ab avis ea dona nepotes
Excipiunt, & quanta fient fastigia rerum,
Hanc subeunt legem, nihil hîc præclarior ortus
Prævalet, hîc squallent tituli, sublimia vilent,
Sceptra cadunt, eadem mundi trepidantur eisdem!
Hæc populis indicta, suum decus acriter armis
Consilio, mirisq; modis firmantibus, urbes
Cernimus æternas habitas cecidisse, nec ipsas
Nomina vim vel opes juvisse, cadavera fas est
Longa Theatrorum, mæstamq; notare ruinam,
Arcibus & castris ipsum accidit, alta CORINTHUS

Nunc

Nuncubi, vel MEGARA est, quæ florentissima quon-
Utraq;, quæ nullis caruit celebrata triumphis, (dam
Jamq; solum sterile est? quàm nunc CARTHAGO siletur,
SPARTAq;, & ingenijs quæ jactabantur ATHENÆ?
His quoq; tempus edax senium, senioq; propinquans
Induxit lethum, lethumq; silentia traxit.
Vera tamen quæ sit nostrorum causa malorum;
Cur neq; succedant è votis cuncta, sed ipsis
Vota refragentur votis, ac deniq; præceps
Mors interveniens speciosos terminet auctus;
Quæq; animam capiat sedes, quam certa voluptas!
Id sacra te MARTINE docent monumenta; quid ergò
Ulla deesse tuis lacrymis solatia credam?

Ernestus VVergkman J. U. L.
Fudit X. Kal. Febr:

AD
DN. MARTINUM MARSTALLERUM, Aulæ Stetinensis Consiliarium, obitum filioli paternè lugentem.

SOl vix septenos peragravit luce ferarum
Anfractus, superum quibus ille interfecat orbem:
Cum tibi feralis dicebat jura Cupressus,
Ducebatq; novis spolijs sibi Morta triumphum.
En dum plaga recens, & adhuc in vulnere primo
Nigra domus questu, facies repetita videtur:
Ad Mortem Gnati pater ingemit, imber acerbus

Æstuat in Matris oculis: & condolet omnis
Qui MARSTALLERI *faciem sub pectore pensat.*
Quid MARTINE *gemis? sunt tempora plena tumul- (tu,*
Inque genus nostrum jurarunt sidera cladem,
Pestiferam, vacuamq; domum de prole notarunt!
Heu nunc filiolus, patrium qui nomen in annos
Spargeret, in gelidam posuit cata membrula tumbam.
Durum hoc! sed ratio luctus sit certa Magistra,
Imperet adfectu Mens verbo animata sacrato.
Cui patrium æthereus juravit Rector amorem,
Sæpius antè fores sit conspiciendus apertas
Illius, atque sui qui sunt hos sæpè salutat.
Et nunc ille tuas animo acceleratus amico
MARSTALLERE *fores pulsavit; quin tibi charum*
Quod fuit, æternas secum transduxit ad ædes.
Quid tu? nonne Deo nutu tua dona sequaci
Quæ tamen ille dedit rellinquis? sic facit ille,
Et sequitur faciem, quam præbet amicus amico,
Alter ut alterius maneat memor, optima quæque
Munera donantur certi documenta favoris.
Filiolum DOMINO *sancti grave pignus amoris*
Donasti, memor ille tui fixoq; favore
Te gerit, & CHRISTI *loquitur donatio fratrem.*
Hinc quam nunc Gnato requiem monstravit in altis
Sedibus, hanc sueta pro dexteritate paravit
Ipse tibi, & cunctis quibus est Mens subleva sursum.
Imperium nunc ergo tuo MARTINE *dolori*
Præfigas: vivit tuus ille PHILIPPULUS *inter*
Angelicos, DOMINUM *celebrans sine fine, maniplos.*

Ipsius

Ipsius non ad te, sed tu gradieris ad illum,
Et nunc quas laudat sedes, laudabimus omnes
Æthereas CHRISTUM *qui fide apprendimus unâ.*
Quin potius mecum querulum sic excute pectus,
Talibus & votis linguamq; animumq; resolve:
Da pater extremæ cum linea rumpitur horæ,
Te præsente mori: divino effundere ovantem
In complexu animam; nec me vis terreat ulla
Quo subeam CHRISTI benè lotus sanguine Cœlum,
Cœlum quippe bonum, quo non mihi dulcius ullum!

lubens meritoq; f.

M. David Reutzius.

Ad Magnificum, Clarißimum & Doctissimum Virum DN. MARTINUM MARSTALLERUM, Illustrissimi nostri Principis ac Domini, Dn. *PHILIPPI II.* *Camerarium & Consiliarium intimum, de inopinato & præmaturo filioli sui longè dilectissimi* PHILIPPI CHRISTIANI *obitu lugentem.*

QVem primò dederat, Naturæ hominumque benignus
Genitum Parens, MARTINVLVM, VIR inclyte:
Hunc

Hunc viridi ex horto Lachesis tibi livida demit,
Heu, longiore sole dignum Flosculum.
At post octiduum, cladem miseratus acerbam,
Vitæ Autor, excitat recentem filium.
Quid fit? tetra iterum rumpit Mors, fila tenella
Tui PHILIPPI CHRISTIANI pupuli.
O varias hominum sortes! ô lubrica Vitæ
Quam vivimus, vicina morti, exordia!
Quid certi humanis, nisi Mors, cuique obvia, rebus?
Quid quæso, quàm Vita, est incertius?
Hoc, Vir Clare, doles; hoc MARSTALLERE frequenti
Guttâ tuæ defles domus ob funera.
Verùm pone modum lachrymis, CAMERARIE: Nostræ
SORTES, DEI potente sunt in DEXTERA;
Dextrâ, quæ potis est cœli mutare sub axe,
Quæcunque nos molesta mœstos opprimunt.

M. Ioachimus Prætorius, Ecclesiastes & Professor Stetinensis.

EPICEDIUM
In obitum insperatum juxta ac luctuosum
PHILIPPI CHRISTIANI MARSTALLERI.

Condita vicino requiescunt ossa PHILIPPI
Marmore: qui patriæ spes fuit una domus.
Est MARSTALLERO celebri patre natus, honesta
Cujus in æternum nominis aura manet.

Cujus

Cujus & excellens pietas, candorq; fidesq;
Dux perspecta diu, DIVE PHILIPPE, tibi.
MARGARIS est illi Genetrix, pia, casta, modesta,
Nobile fœminei lumen honosq; chori.
Matris in hoc Nato stetit omnis cura Patrisq; :
Spes & in hoc seræ posteritatis erat.
At Natum Lachesis curamq; parentibus illam
Invidet, & subitò spes, velut umbra; cadit.
Aetatisque suæ cadit hic ineuntis in ipso
Vere puer, stratus falce rigente necis.
Illum jam superûm sedes æstasque perennis
Excepit, finis nescia, plena boni.
Sors puero melior longè nunc contigit: ille
Ora Potestatis Trina tremenda videt.
Angelicosque choros inter cætusque beatos,
Aeternum celebrat voce sonante DEUM.
EST facilis veris jactura, quod excipit æstas
Permutans lætis tristia, damna lucris.
Hæc, vir clare, levent animum solatia mœstum:
Menteque fer placidâ pondera sancta crucis.
Pondera sancta crucis, nitidi quæ Rector olympi
Ferre jubet nixu teq; suosq; pari.
Fide Deo, crebrâ luctum prece vince, metum spe:
Spes nullo fallit tempore, nixa Deo.
Ipsemet hanc olim pensabit munere largo
Jacturam, solitâ pro bonitate, DEVS.
Et dabit ut vester generet nova pignora lectus:
Quæ matrem superent indole, mente patrem.

M. Petrus Cölemannus Pædagogij
Illustris Conrector.

Ἐπόστιχον

In præmaturum obitum

PHILIPPI CHRISTIANI,

Dn. Martini Marstalleri &c. filioli,

21. Jan. Anno 1609. defuncti.

FILIoLVs MARSTALLERI VIX ConspICIt aVras,
RVrsVs InIt faVstVs Castra sVperna poLI.

Aliud, Annum, Mensem & Diem obitus continens.

TEr septena CaVo JANI LVX fVLsIt In aXe,
HeI! MARSTALLERI fILIVs oCCVbVIt.

Votum.

CHRISTE DeVs VItæ; extInCTâ sIt LIte ParentI
PropItIVs: CapVt Vt CresCat, oVetqVe DIV.

Paul Zacharias. S.

ALIVD.

F*Ato orimur, morimur*; Fatum est Divina voluntas:
Illa senes, Iuvenes, sub sua jura vocat.
Sic moritur gnatus, visâ vix luce, tenellus
MARSTALLERE, tuus, ceu pia FATA volunt.
Commenda CHRISTO natum, qui morte redemit,
Mundo, sentiret ne mala secla, tulit.

Nam

Nam Mundo immundo dolor est, vis, Lisq; , dolusq;,
Impietas, Mors, Sors, Mars quoq; Sceptra tenent.
Omnibus hisce malis præreptus , cœlica gaudens
Divini aspectu Numinis astra colit.
Ergò ne invideas; Præmissus filius, haut est
Amissus, Cœlo quem sibi FATA vocant.

M. Adam Moësler scabinus Sedin.

Aliud in ejusdem obitum.

Σχεδίασμα Παραμυθητικὸν.

QVOD nulla sola sit calamitas, imò
Parasceve ad alterum unius mali finis:
Et vel tuo constat documento id infausto
Tristiq; lessu, quem facis, VIR, heu! mœste,
Heu! mœste. NAM trieterida assequutus vix
MARTINVLVS, denascitur dies multos
Non antè, GNATVS; Pauculos dies postq;
PHILIPPVLVS CHRISTIANVLVS tener fœtus
Luctum quidem primum levat; sed, heu! mox mox
Geminat dolorem, & vulnus adhuc cicatrice
Novum novat, breviore termino vivens,
(O spes brevis, cura ô Parentium longa!)
Heu! Occidit. VICISSITVDO cunctarum
Est quanta rerum! Conditio sed hæc vitæ
Mortalis est, levi fugacior vento:
Quin & nihil nisi temporarium quoddam
Est vita diversorium, vapor fumi,

Flatusq; tenuis & simillima est somno.
Est flos Homo! Quisq; viret nunc, mox ut arescat;
Adolescit, ut senescat; utq; descendat,
Ascendit; ut moriatur, vivit; Omnesq;
Dum nascimur, morimur, dum vivimus, semper;
Et pollicetur crastinum sibi NEMO.

HÆC cogita, præclare VIR, tui caussâ,
Tuoq;, MARSTALLERE, tempera luctu:
DEVS dedit, DEVS abstulit, PIOS MANES
In otium ex negotio locans! Queis tu
Accende ceras, solve justa: Cras forsan
Sequemur. Interim resarciat damnum,
Quod passus es, tibi benignior JOVAH,
Cujus benedictum in omne seculum nomen.

Pro testandâ condolentiâ
M. Balth. Setzer Scabin. Stetin.

NÆNIA,

In obitum ejusdem.

à Petro Neomarco, Poëta Coronato Cæsareo.

IUgum subire flebile
Mortis, necesse est omnibus,
Puellulis venustulis,
Infantulis tenellulis,
Mulierculis edentulis,
Viris & albicantibus,
Et optimis, & pessimis,

Et

Et Maximis, & infimis,
Et Cæſari, atq; Regibus,
Et Aulico, atque Principi,
Et Nobili, atque Ruſtico.
Requirit hoc immobilis,
SANCITA nobis OMNIBUS,
LEX MORTIS, & Proſerpinæ,
Jugum ſubire flebile,
Mortis, neceſſe eſt omnibus,
Hac luce, vel die alterâ,
Vel hoc momento, aut altero,
In Matris ulnis, vel Patris,
In Principum vel ædibus,
In pauperum vel ſedibus,
In pontibus, vel fontibus,
In navibus, vel cymbulis,
Requirit hoc immobilis,
SANCITA nobis OMNIBUS,
LEX MORTIS, & Proſerpinæ.
Iugum ſubire flebile,
Mortis, neceſſe eſt omnibus,
Ridentibus, plorantibus,
Bibentibus, jocantibus,
Euntibus, ſedentibus,
Scribentibus, legentibus,
Dicentibus, tacentibus,
Diſcentibus, docentibus,
Et ſingulis momentulis
Et ſingulis minutulis,
Nitente Phœbo, aut Cynthiâ,

Nimbo

Nimbo cadente, turbine
Vel flante, vel Favonio.
Requirit hoc immobilis
SANCITA nobis OMNIBVS,
LEX MORTIS, & Proſerpinæ.
MARTINE, Vir Clariſſime,
Exemplar ille parvulus,
Nuper fuit MARTINVLVS:
Exemplar at nunc puſio,
CHRISTJANVS eſt PHILIPPVLVS,
Vtrique Gnatuli Tui,
Semeſtris hic, triennis is,
Brevi tibi quos tempore,
Mors abſtulit, ſed attulit
Ad Cœlica iſta gaudia,
Ubi eſt voluptas maxima,
Martinulo & Chriſtjanulo,
CHRISTI dicatis nomini,
CHRISTVM videre numine,
Sic copulatum Flaminis,
Deique Patris, (mira res)
Vt una ſint eſſentia.
Quis invideret corculis
Tam ſanctulis, pijs, probis,
Pro cœlicis his gaudijs,
Totius orbis omnia,
Nempe omnia iſta ſomnia?
MARTINE, Vir Clariſſime,
Non invidere novimus,

Te

Te cœlica ista gaudia,
Animabus his dulcissimis.
Cur ergo fluctibus Tuum
Cor luctuum sic æstuat?
Cordis dolorem tempera,
Tantisque curis impera;
Nefas quod est mutarier,
Patientiâ convincitur.

THENODIA
In ejusdem obitum.

Vix cessit Fatis Martinus filius, alter
Filius, hei filo mox breviore cadit.
Sic Atropos cumulas cladem atrocissima clade,
Argus nec largus Martia membra rapis?
Orbis tristitiæ corbis, fanda atq; nefanda,
Ferre catenatas pergit adusq; vices:
Monstrum immane, ingens & cui rationis ademptum
Lumen, nec columen, Lumina clara necas.
Militia est Hominis vita, hanc vitare nequivit
Divus Adam, Isacus, Iobq; Iacobus, Amos.
Vi superâ plenus Lutherus & arte Philippus,
Semina qui Lucis restituêre viri.
Dixit Apollo; malum non cælebs norit id unquam,
Stemmatis ab binos perdere fulcra satos.
Hæc ut sit superare grave, atq; onerosius Æthnâ,

Cum

Cum patrio aufertur corpore uterq́ʒ, anima.
Vulnus ut hoc cordis nullus levet arte Machaon:
Parendum tamen est legibus, addo, DEI.
Nam Doctrina DEI certis nos vocibus implet,
Non schola Democrati, non Epicure, tua.
Non animi nobis stat in hoc perfecta voluptas,
Omnis ut ex illo poßit abesse dolor.
Ast æquè voluêre DEVS, quod Fata, ferendum:
Nostra etenim in manibus, vitaq́ʒ morsq́ʒ DEI est.
Non operis nostri est, quod in has educimur auras,
Vita nec invito migrat ab orbe, DEO.
Iam ceu sylva comis apparet mœsta revulsis,
Vlmus & abscißâ vite, decore caret:
Sic Arbor vitæ, sine quo sumus arida ligna,
Efficiet, vireat florida palma tibi.
Dum certum credas, tibi posse & velle ruinam
Sarcire & viduum prolificare thorum.
Explorare, suos crucis assolet igne Iehova,
Quæq́ʒ facit, justâ cum ratione facit.
Quando mali nato nihil accidit, obsecro, præstas
Te virtute virum, ceu pietate patrem.
Pannonius veluti Martinus, Martius Heros;
Sic tu vince: DEVS, sic dabis, Alme, Naim.

Condolentiæ ergò
exarata ab
Ottone à Rammin, Iun.

ALIUD.

ALIUD.

SIc ergo duplo funere funera
densantur? &, quod flebilior rogus
ne dum restinctus, nō satis? quin
nunc iterum caleat Cupresso.
Semestre fluxit, Melpomene gravi
mœrore quando questubus omnia
complevit, ut Fato PATRONI
Filiolus tener hinc recessit,
Nunc illa rursum cogitur addere
planctus fluentes, istius ad vicem
dum redditus gnatus perinde
ante diem cecidit tenellus.
O Fata? quæ si mentis acumine
censere velles, vel tibi sidera
infesta subsumes, vel ipsum
velle nocere DEUM putabis;
Humana quin mens talibus obstrepit,
quenquam supernâ quando potentia

Jovæ videt tactum, vel una
dummodo clade allaboret;
Sed nil moreris; Codicis intima
PATRONE sacri rectius explicant
omen, velut plus promptiore
ipsemet illa tenes cerebro.
Verè fidelis qui regit æthera
Et quæq; præstat sunt bona, subdolè
nec quempiam vires ad ultra
tentat, at his meliora reddit;
Lex interim sed stat rata, quos amat
exercet, adq; ac usq; tepentia
complectitur lamenta; Postq;
propitium retegit favorem.
Cede ergo JOVÆ, certior omnia
quod ritè vertet, reddere Filium
quin tàm citò, dextra valet quàm
plurima de nihilo creare;
Spe stesq; certa, quòd modò Filij
PATRONE cœlis gaudia concinant,

illos

illos vicissim quodq;, Morta
mortua cum fuerit, videbis.

Condolentiæ ergò

Jacob. Frost.

ALIVD.

MAjora Patri quô, sibi filium
Videre nasci, gaudia concitat;
Vix editum finire vitam,
Hôc gravior solet esse luctus.
Martine, constat quod tibi rectius,
Doloris ictu nec sine maximo;
Cui Gnatulum Sex ante menses
Abstulit atra Dies tenellum.
Nunc duplicatum flebile idem malum,
Patrone, tectis approperat tuis,
Qui cogeris nato recenter
Filiolo exequias parare.
Eheu dolendum! funere præpete
Mersos, Parentem perdere, filios

Binos, & unos semper, intra
Tàm breve tempus; Et hoc dolendum!
Iustus profectò nam tuus est dolor;
Præstat dolori nec tamen immori;
Sed cuncta solius potenti
Numinis arbitrio referre.
Favore, mensas, illius, agmine
Cingit propago plurima florido;
Hujusq; nutu prole charâ
Stat viduata domus vicissim.
MARTINE Fautor, pone modum tuo
Certum dolori, rebus ut asperis
Infracte, demissum supernè
Mente malum patiare justâ.
Has, Numen, almæ primitias suæ
Sedis, sacratum constituit sibi;
Idemq; compensare prolis
Omnia damna quit. Experibis.

Fridericus Beck, S. P.

ALIUD.

ALIVD.

FAXIanI prIMa Vt VICenaqVe ab aXe reCVrrIt,
Chare PhILIppe tVIs, teCta sVperna CapIs.
Hinc mater mœsta est, mœstus genitorq; , tuiq;
Omnes hunc abitum corde gemente dolent.
Estnè quod invideant tibi cœlica gaudia, nec te
Fratri Martino tàm citò adesse velint?
Non est, (ex tumbâ videor te talia fari)
Hùc etiam cupidè tendit uterq; parens.
Sed quod disjuncti nobis, hæc una doloris
Est hujus causa, & maxima mœsticia.
Vt verò intereà memores fratrisq;, meiq;
Sint pater & mater, hæc ad utrumq; fero:
Est ubi crux, ibi lux, hæc lux est ipse JEHOVA,
Luce hac erigitur, sub cruce qui premitur.
Idq; ego jam plenè cœlis edoctus, & ipsum
Est mea, sitq; meis non dubitanda fides.
Hisce tacens finem nunc tandem imponere mandas
Mœrori gratum quodq; DEO atq; tibi.

Gerhardus Horstius, Brunovicensis.

MAR-

MARTINI MARSTALLERI
Patris mœstissimi ad filium
PHILIPPUM CHRISTIANUM
Προσφώνησις.

PArs cordis nostri mediata pusille PHILIPPE,
Sumtum de Christi nomine nomen habens,
Cur properas adeò; terram relinquere matrē,
Ante hanc quam possis calce ferire pedis?
Atquî nulla tibi tulit hæc fastidia parvo,
Hactenus in vitâ sed fuit æqua tibi.
Nam postquam vitæ prodisti natus in auras,
Vagitu poscens lacq; cibumq; puer,
Sex primos menses nullo turbante dolore,
Exigis, & flores ceu rosa vere nitens,
Jamq; piam poteras risu cognoscere matrem,
Poscentiq; tuo suavia ferre patri.
O quoties alacri dum vultu parve renides,
Te fore longævum spes mihi facta fuit.
Verùm, eheu, vultus quia nîl puerile ferebat
Ille tuus: visus plus mihi amare polum
Quam terras; quod nunc eventus comprobat: altum
Dum petis, aligerûm te comitante manu.

Nempe

Nempe hoc te insertum Christo baptismatis undis
Spiritus edocuit sanctus, amare polum.
Hinc etiam subitò morbus dum corripit asper,
Septa calore gravi tormina ventre ciens.
Suspiras cœlum, cœlum gemebundus anhelas
Terreniq; nihil mox tibi, parve, placet.
Ergo etiam tua vota magis, quàm nostra valere
Incipiunt: Medici vanaq; cura jacet.
O fili generoso animo, si fata tulissent,
Quiveris in terris noster ut esse diu,
Quàm te formassem verâ in pietate lubenter,
Ex scriptis veterum quæ bona vera docens.
Sed frustra hæc opto: quia jam perfectus in illo es
Sanguine qui lavit corq; animamq; tuam.
Esto ergo in cœlis fœlix; fratri benè junctus
MARTINO, inq; Dei gaudia carpe sinu.
Gaudia perpetuis semper stagnantia rivis,
Gaudia quæ nullum sunt habitura modum.
Sed tu summe Pater nostri miserere, tuoq;
Nos iterum miseros, Christe, favore bea.
Nos tua quæ statuit sacra sanctio Christe feremus,
Dummodò tu maneas noster in orbe DEVS.

Eteostichon ejusdem:

FILI qVo VergIs? VoCat hInC nVnC ChrIstVs eVnteM:
Perge; pIIs, noster ReX qVIa ChrIstVs, oVat.

FINIS.

